

15/16



JUSTA
ANNIVERSARIA
BEATIS MANIBUS
*REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,*
**DOMINI
AUGUSTI,**

PRIMATIS GERMANIÆ, ARCHI-EPISCOPATUS MAGDE-
BURGENSIS POSTULATI ADMINISTRATORIS, DUCIS SAXONIÆ, JULIA-
CI, CLIVIÆ, AC MONTIUM, LANDGRAFII THURINGIÆ, MARCHIONIS
MISNIÆ AC UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITIS PRINCIPALI DIGNI-
TATE HENNEBERGICI, COMITIS DE MARCA, RAVENSBUR-
GO ET BARBY, DYNASTÆ RAVEN-
STEINII &c. &c.

PRINCIPIS AC FUNDATORIS
ILLUSTRIS AUGUSTEI
QVONDAM CLEMENTISSIMI,
EX MAJORUM INSTITUTO,
PRID. NON. JUNII A. O. R. C. 15XXI.
PERSOLUTURUS,

AD
SOLENNEM ORATIONEM
DECENTER INVITAT
JOH. DAVID SCHIEFERDECKERUS,
SS. THEOL. D. & PROF. PUBL.





ב' ש'



Vanquam certitudinem resurrectionis mortuorum nemo eorum, qui Christi nomen ac doctrinam profitentur, nisi horrendo illi ac pestilensissimo dogmatis generi, quod Atheismum vocamus, calculum adjicere velit, in dubium vocare soleat: nondum tamen inter eruditos constat, *num resurreccio ista sit nota & demonstrabilis naturâ h. c. an lumine naturæ investigari ac Philosophicis rationibus adstrui possit, nec ne?* SCHOLASTICI equidem, METAPHYSICI & multi alii, *& ita* hoc in utramque partem speciosis, idque pro viribus, Argumentis ventilarunt: ait vero, in negativam cum præstantissimis Theologorum ut abcamus sententiam, vel unica hæc nobis svader ratio, quod resurreccio sit Mysterium naturam superans, adeoque ex illa neque cognoscibile, neque demonstrabile, sed ex sola luce verbi divini nobis revelatum. Hinc magnum illud Ecclesiæ fidus, AUGUSTINUS, fidem de resurrectione, Christianorum propriam dixit. Imo ipsimet JUDÆI cum MAIMONIDE hunc Articulum referunt inter נסנעה וְהַא צל הָטָבָע naturæ impossibilia, at בְּקֵבֶר הַבָּרוֹא nequaquam impossibilia respectu creatoris; & ABARBANEL cum adscibit לסתורי תורה arcanis Legis seu Scripturæ. Conf. JOS. ALBO, L. I. c. 22. LIGHTFOOT, Hor. Hebr. Talm. in Matth. XXII. 23. 32. & Job. IV. 15. it. in I. Cor. XIV. 21. Mirum proinde non est, Ethnicos, qui corruptæ naturæ ductum sequuntur, de hoc Articulo frivole ac impic locutos esse. Morti obnoxios omnes homines, agnoverunt quidem & illi, cum tamen ad resurrectionem ventum est, ἐξασθενεῖσθαι, Aetor. XVII. 22: quid? quod ipsimet Christi discipulis sermo mulierum, de resurrectione ejus testificantum, αὐτὸς viuis est, Luc. XXIV. 11. ut Thomam Job. XX. 25. dubitantem, tacceamus. PLINIUS certè Nat. Hist. L. II. c. 7. & L. VII. c. 55. puerile deliramentum vocat; & CÆCILIUS apud MINUTIUM in Oratione hunc in modum επιτάχει: Christiani aniles fabulas adstruunt,

v. 2-



renasci se ferunt post mortem, & cineres & favillas, & nescio quæ fiducia mendaciis suis credunt. Conf. h. l. MEISNER. Philos. sobr. P. I. Sect. 4. c. 9. Qv. 5. ubi probat, contra omnia Naturæ statuta esse, corruptum & in alterius substantiam conversum esse, & tamen idem numerore reverti. Ex hoc ejusdemque farinæ alii satis liquet, dogma de resurrectione naturam superare; interim tamen nec planè contra naturam esse, nec contra rectam rationem, sole meridiano clarus est. Multa enim ex lumine naturæ erui queunt, quæ ad possibilitatem demonstrandam faciunt. Quo & argumenta Philosophorum, & similia ex natura petita ab omnibus, quæ resurrectionem mortuorum admitunt, nationibus, Judæis, Christianis, Mohammedanis &c. pertinent. Nimis prolixum foret, *JUDÆORUM* rationes naturales ac adumbrationes de hoc mysterio, quæ in Cod. Sanhedrin, c. II. S. 4. alibique pasim, habentur, proferre in medium: attamen fabellam eo fine ab ipsis confitam, ut testatum redderent, divinam justitiam resurrectionem mortuorum omnino requirere, breviter hic adjiciemus. Opulentum quendam, perhibent, Paradisum sibi plantasse nobilissimis arborum generibus, quæ fructus præstantissimos ferebant. Ne autem diriperetur, apposuisse custodes, alterum videntem quidem, sed claudum, alterum vero coecum, sed tamen pedibus valentem, quoniam ab ipsis custodibus erat cavendum. Cum abiisset horti dominus, cooperunt custodes inter se consultare, de fructibus comedendis. Coecus ajebat, ego quidem cupio, sed non video. Claudus ajebat, ego vero illos cerno, sed accedere nequo. Post multa convenerunt, ut coecus ad terram se prosterneret, & super dorsum accipere claudum qui cum videbat, manu regebat coecum. Atque ita conjunctis viribus fructuum optimos abstulerunt. Horti dominus rediens damnumque advertens custodes increpavit. Uterque satis probabiliter se excusabat. Herus autem, cognitâ eorum vafricie ac astutia, conjunxit, ait, forte operas, propterea, vos rursus conjunctim plectam. Alligavit itaque unâ eos & percutiendo utrumque simul punivit. Ita, pergit Rabbini, in homine res habet. Anima quidem cognoscit & sapit, verum externa per se non potest obire opera: corpus vero per se stupidum est, nec sapit, quod tamen, ab anima cum compellitur & movetur, idoneum instrumentum est actionum externarum. Quod cum ita sit, ratio postulat & justitia, ut post mortem conjugantur denuo ad perferrendas poenas & præmia. Sed linquimus has & alias Judæorum ineptias, & ad CHRISTIANORUM Doctores accedimus. Inter eos tam veteres, quam recentiores non pauci Mysterium hoc Topicè & probabiliter ex naturæ lumine, præeunte Apostolo,

i. Cor.



i. Cor. XV. illustrarunt. Ex illis **TERTULLIANUS**, de Resurr. carnis, inter alia probat, Dei potentiam non excedere carnis resurrectionem; divinæ etiam potentie esse diei ac noctis, biemis & aestatis, veris & autumni vicissitudines: Phœnicem etiam, Orientis alitem, qui semet ipsum funerans renovat. Quod ipsum Phœnicis exemplum alii quoque huc detorquent, quanquam, qui de avibus exactè scripserunt, jam pridem, fabulam esse, observarint. In eodem Argumento operosus fuit deducendo **CLEMENS ALEXANDRINUS**, quem & alii Patrum sequuntur. Nec minus recentiores putant, rationem posse investigare hominis creationem, ergò & resuscitationem: sed hoc est incertum per æque incertum probare, cum id ipsum, hominem nempe virtute omnipotentis Dei esse productum, purus sit fidei Articulus. Obvertunt, providentiam divinam requirere, ut bonis tandem bene, malis male sit: sed respondebit Philosophus purus, piis & impiis in hac vita retributionem contingere sufficientem, illis quidem testimonio conscientiae in adverbis fruentibus, his furuis internis miserè agitatis. Argumentantur porro, tres naturas esse, corporalem tantum, spiritualem tantum, & ex utrisque compositam. Sed cum corporalis eque ac spiritualis æternum sit mansura, ergò & composita. Ast verò, unde corporalium naturarum pereanitatem Philosophus probabit? & posito, naturam essentiâ spirituali & corporali constantem perenneam fore, ad unitatem tamen non individualē, sed speciei concludi potest. Verum, linquimus alia, & coronidis loco saltē ^{as. c.} ^{curv.} MOHAMMEDIS argumenta, quibus in Corano suo Coreischitas, resurrectionem negantes, oppugnat, notamus. Petita ea sunt tum à Creatione, Sur. XXII. 5. XXIII. 16. XXVIII. &c. tum à Providentia divina, Sur. XXIX. XXXV. &c. & proinde à Majori: Deus creavit hominem ex nihilo, E. facilius ex præexistente materia, Sur. XVII. &c. Sufficit, eandem è Verbo firme propheticō V. & N.T. quam luculentissimè nobis innotuisse, prout in concionibus itemque Scholis Theologorum fusius docemur. An verò de defunctis formula illa ^{ιετην} usurpanda sit: Deus det ei pacatam quietem & beatam ad vitam æternam resurrectionem, crastina, Deo dante, luce, H.L.Q.C. Reverendissimo & Serenissimo Principi ac Domino, Dn. AUGUSTO, Primi Germaniae, Postulato Administratori Archi-Episcopatus Magdeburgensis, Duci Saxoniae, Jul. Clivie ac Montium, &c. &c. Illustris Augustei nostri Fundatori quondam, ut manifestissimo, ita clementissimo, justa anniversaria publico nomine perfoluturus, non nihil dispiciam, simulque de memoria beatè defunctorum, nec ^{ιδωλομανία}, nec ^{κυριωλατρία} superstitione, sed Christianâ pietate recolenda, pauca disseram. Quem Aetum Oratorium ut illustris hujus Athenei Tutani, Fautores, Civesque, gratiosa honorifica atq; frequenti præsentia suā condecorare dignentur ac velint, officiose & per amanter rogamus. P.P. III. Non. Jun. A. O. R. 1500 CC XXI.

LEUCOPETRAE, Literis G. A. Legii, Aul, & August. Typogr.



JUSTA ANNIVERSARIA

B.I.G.

Black

White 3/Color

Farbkarte #13

Centimetres

8																			
7																			
6																			
5																			
4																			
3																			
2																			
1																			
Inches																			
1																			
2																			
3																			
4																			
5																			
6																			
7																			
8																			

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

SATIS MANIBUS
PISSIMI AC SERENISSIMI
INCIPISSET DOMINI,

DOMINI
GUSTI,

NIÆ, ARCHI-EPISCOPATUS MAGDE-
ADMINISTRATORIS, DUCIS SAXONIE, JULIA-
UM, LANDGRAFII THURINGIÆ, MARCHIONIS
VE LUSATIÆ, COMITIS PRINCIPALI DIGNI-
TI, COMITIS DE MARCA, RAVENSBUR-
BARBY, DYNASTÆ RAVEN-
STEINII &c. &c.

IS AC FUNDATORIS
TRIS AUGUSTEI

AM CLEMENTISSIMI,
MAJORUM INSTITUTO,

JUNII A. O.R. CID 10CC XXI.
PERSOLUTURUS,

AD
REM ORATIONEM
CENTER INVITAT
SCHIEFERDECKERUS,
EOL. D. & PROF. PUBL.

